E L O G I V M

I N

GRATI ANIMI ET OBSERVANTIAE ARGVMENTVM

A JOSEPHO ARONNI I. V. D.

C O N S C R I P T V M.



E L O G I V M

JOSEPHVS ARONNI FLORENTINVS I. V. D. assidua sarcomatis aegritudine diu vexatus in dextera parte nasi, atque ex magna spe salutis deturbatus, cum morbus ejus nondum bene cognitus haberetur pro desperato, plurimorum sententia, felicitatis suae auctorem invenit, ad bene merendi gloriam natura factum, et consuetudine exercitatum. Tam horribili nuncio perterritus, propter et benevolentiam singularem erga Josephum ipsum et morum integritatem, Alexander Rivani Domo Florentia, in suprema Imperiali Etruscorum Curia a Consilijs, Vir bonis disciplinis excultus, graecis, latinisque literis apprime eruditus, Latini atque Etrusci sermonis politissimus Scriptor, Philosophus, Poeta, Jurisconsultus Eximius, cum epistola commendatitia nunciatoria, misit amicum suum ad Paullum Mascagni Senensem, Philosophum, atque Medicum Clarissimum, qui supra ceteros nostrorum temporum agendo, scribendo, et publice Florentiae Anatomiam profitendo in Imp. Nosocomio Sanctae Mariae Novae, nomen sibi ad Extraneas etiam Regiones nunquam periturum, comparavit; et uti Doctor Egregius, Magnanimus, vaticinii laude florentissimus, eadem epistola evocatus, excitatus, attenta, et perspicaci adhibita obser-

vatione pronunciavit, qualis esset morbi non insanabilis natura, qualis medica cura, qualis eventus; ideoque Sarcomatis in dies singulos ingravescentis morbo laborantem ad inspectionem Chirurgorum doctrina, et exercitatione insignium remittere putavit, cum tanti nominis Professor ad occurrendum huic morbo existimaverit optimum factu evellere, seu extirpare quidquid subesset vitii, ne secum integrae partes inter cetera in consensum morbi raperentur, quod quidem consilium, Magistrorum usu probatum, neutiquam, in sermone relatum, praesente Aegroto, reprehendendum censuit perillustris ejus collega Doctor Laurentius Nannoni in Lyceo S. M. N. Artis Chirurgicae Lector Primarius, ejusdem Nosocomii columen ingens, in suos auctoritate, celebritate apud Exteros cum paucis comparandus. Quapropter praestantissimi Professores Florentini Laurentius Nannoni, et Aloysius Giuntini pridie quam devenirent ad hanc tam gravem operationem, in conspectu studiosae Iuventutis Collegii S. M. N., ad Ejus bonum, in singulis partibus diligentia, et Iudicio Sarcoma observarunt, et insequenti die, VII. Idus Februarii an. MDCCCXI., Vincentius Andreini Florentinus primus inter Iuvenes Collegii S. M. N. juxta Leges statutas hujusce Nosocomii, summa ingenii laude, ac manu cum gladiolo acuto promptus, sub tutela Horumce Amplissimorum Patrum, globatum Sarcoma, quod totum nasum circumambiebat, penitus exsecavit, ustionemque praestavit in Cubiculo Nobilium, adstantibus Alumnis Chirurgiae studiosis, aliisque sapientiae, atque eruditionis cultoribus, heic quoque adstante, et plaudente Viro Doctissimo Ma-

scagnio. Quo peracto, praelaudatus Aloysius Giuntini, Scholae Chirurgicae Florentinae ornamentum, curationem instituit quoad hanc primam partem; postmodum tantum Iudicii, diligentiae, Studii, atque humanitatis in curatione istiusmodi morbi cum exitu non evanido adhibuit, ut tanquam parens Artis Chirurgicae Florentiae habeatur. O spectaculum Populo jucundum, ceterisque cujuscumque Ordinis nedum Florentiae, sed Etruriae Vniversae, qui non sine magno dolore aegrotantem viderant deformatum, subito ab insanabili morbo vindicatum, et in pristinam valetudinem omnino restitutum! Mirantur, obstupescunt! Cum itaque Ægrotus ope Optimi Amici sui Amantissimi una cum Triumviris Æsculapii, quos grata recordatione modo nominavimus, divinis animi, ingenii, virtutis, ac doctrinae laudibus non satis commendandis, a squalore et interitu fuerit ereptus,

HAVD IMMEMOR TANTI BENEFICII
AD AMPLITVDINEM EORVMQVE MAGNI NOMINIS GLORIAM
MONVMENTVM HOC
IMMORTALITATI
IPSE
CONSECRAVIT

FLORENTIÆ CIϽ. ϽI. CCC. XI.

DATVM AB AGRO RIPVLENSI FERIS AVTVMNALIBVS